

Vg
5434



Cl. 191.

BK. 191

ORATIO PANEGYRICA,

Vg
5434

DE

MERITIS LVTHERI

IN

ECCLESIAM CHRISTIANAM,
COLLATIS ET LAVDE INDE
ORIVNDA,

IN

SOLEMNI CONSESSV AD MEMORIAM B. LVTHERI,
DIE EMORTVALI, RENOVANDAM

IN

AEDE SACRA DIVI PAVLLI
LIPSIAE, DIE XVII. MART. M DCC XLVI.

RECITATA,

A

JOANNE RVDOLPHO KIESLINGIO,
S. S. THEOLOG. LICENT. ET P. P.

LIPSIAE,

EX OFFICINA BAVCHIANA.



III 212

1793

ORATIO TAM QUA

MERITIS L. THIERI

IN

ECCLIAM CHRISTIANAM
COLLEGIIS ET LAUDE INDE
ORIVINDA

IN

SOLIMANUM AD METROPOLIM B. PATRIUM



LECTATA

JOHANNES ADOLPHUS KESSELING

2. 2. THEODO. LICH. P. P.

FISIA

ET D. C. S. C. I. N. A.





RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,
VIRI
SUMME VENERABILES, DOCTISSIMI, CONSVL-
TISSIMI, EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMIQUE,
VOSQUE GENEROSISSIMI, AC NOBILISSIMI
SANCTIORVM DISCIPLINARVM, ET FAVTORES,
ET CVLTORES PRAESTANTISSIMI,



edo ego Vos, AVDITORES OPTIMI, mirari,
quid sit, quod, cum tot oratores, & viri omni
studiorum genere ornatissimi sedeant, ego po-
tissimum surrexerim, & in hanc dicendi orche-
stram ascenderim, qui neque ingenio, neque ora-
tionis flumine, neque auctoritate sum cum iis, qui sedeant, compa-
randus. Si vero, quantum voluptatis mihi attulit hodierni diei so-
lemnitas, quam & dignitas, & frequentia VESTRA multo illustriorem
reddit, tantum eloquentiae, aut a praestantia argumenti, aut a meo
VOBIS me probandi studio consequerer, non de oratione auribus
VESTRIS digna, eaque satis limata, & ornata laborarem, sed rebus
dicendis ingenium, ingenio verba, verbis denique argumenta respon-
derent.

*) o (*

derent. Cum enim sua natura est argumentum, quod elegi, praestantissimum propterea, quod versatur in re, si indolem spectes, admodum iucunda, si utilitatem, optima, si necessitatem, maxime officiosa; tum hoc potissimum tempore videtur illustrius, quo tot homines eruditi, in memoria virorum, de Ecclesia Lutherana optime aliquando meritorum, & adhuc bene merentium, pie recolenda, & immortalium albo inferenda, sunt occupati.

En lunam inter minora sidera! En **LVTHERVM**, strenuum Ecclesiae nostrae statorem, heroemque fortissimum, cuius honos, cuius nomen, cuius laudes, quoad mortalium existet propago, durabunt, vigeunt, florebunt. Si enim illis, qui rempublicam labefactam erexerunt, erectam stabiliverunt, stabilitam novis adauxerunt firmamentis, adauctam, denique, ut multa paucis complectar, innumeris adornarunt beneficiis, immortales, nisi omnem exuerimus pudorem, debemus gratias; certe **LVTHERO**, rude iam dudum inter coelites donato tantum debemus, quantum hominem homini debere vix fas est. Quo vero modestior, & a vana laude & affectata gloria alienior extitit magnus, quem dixi, **LVTHERVS**, tanto maior nostra debet esse cura, tanto ardentior noster animus, tanto enixius nostrum studium in laudis encomio **LVTHERO** nostro, rebus mortalium erepto, summa animi pietate deferendo. Sibi quidem, suaeque gloriae satis vixit, sed non Ecclesiae, non nobis, quibus flebile sui reliquit desiderium.

Recolamus igitur tanti **VIRI** memoriam, quam nulla unquam delebit oblivio, „Nullam enim, teste **TULLIO** a) virtus aliam mercedem laborum, periculorumque desiderat, praeter hanc laudis, & gloriae, qua quidem detracta, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo, & tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus.“ Profecto non otiosum spiritum duxit **LVTHERVS**, sed tam multis, tamque variis laboribus, & negociis, religionis causa susceptis, & periculis, famae, opibus, quin & vitae minacibus, fuit obnoxius, ut non uno nomine, de republica Christiana, & nostra Patria, nec non toto terrarum orbe sit promeritus. Laudi omnino ducitur illustribus bonarum artium sedibus, quod nuper admodum diem **B. LVTHERI** emortuaem, ipsi quidem prosperam, Ecclesiae vero, & Reipublicae fatalem, quo rupta sunt concordiae publicae vincula, solemni ritu celebrarunt.

Nostra

a) Vid. Orat. ad Quirites post reditum.

Nostra res nunc agitur. Associtemus nos his devotis **LVTHERI** cultoribus, & eius merita prorsus oratione praedicemus, & officium, quod ipso die emortuali, seu potius natali, quo ad sempiternam vitam renatus est **LVTHERSVS**, persolvendum erat, ipsi hodierna luce praestemus.

Si vero, **AVDITORES OPTIMI**, hoc ipso, qui illuxit die, quo memoria **LVTHERI**, in hac amplissima virorum corona, est renovanda, de meritis huius viri prorsus divini parum cumulate dixero, quae-
so obtestorque, ne meae naturae potius, quam magnitudini beneficiorum a **LVTHERO** perceptorum id tribuendum puteris. Quae enim tanta potest existere ubertas ingenii, quae tanta dicendi copia, quod tam divinum ingenium, atque incredibile dicendi genus, quo quisquam possit huius immortalis Theologi, in nos universa promerita, non dicam complecti orando, sed percensere numerando. Crescit tamen in hoc ipso suggestu animus, **VESTRAE**, qua uti soletis in me, benevolentiae memor. **VESTRA**, inquam, humanitas, mihi, si „de Meritis **LVTHERI** in Ecclesiam Christianam collatis, eiusque „laude inde oriunda,“ minus comite, & apte disseruero, ignoscet, quippe quae non verborum apparatus, non lenociniis, non ampullis, non sesquipedakibus verbis, sed argumento attentione adprime digno est intenta.

Cogitanti igitur mihi „de Meritis **LVTHERI** in Ecclesiam „Christianam collatis, eiusque laude inde oriunda,“ tanta sese offert meritorum copia, ut verear, ne extra orbitam, si paulo uberius argumento indulgerem, prolabatur oratio. Ante vero quam altius provehar, & vela deam antrorsum, exponam **PRIMO**, quid mereri de aliqua re significet; **DEINCEPS** demonstrabo, quibus potissimum nominibus **LVTHERSVS** de nostra Ecclesia dicatur bene, quin imo optime meritus. Neminem **VESTRUM**, **AVDITORES**, adeo hospitem, & rerum expertem esse putaverim, qui nesciat, duo quasi esse meritorum requisita, in hac oratione non negligenda; quorum **ALTERVM** est, ut sit opus, seu si dicere amas officium, ad quod alii praestandum, si a communi necessitatis vinculo recesseris, nulla nos obligat ratio; **ALTERVM**, ut sit beneficium, quo alterius sublevamus inopiam, & eidem haud leve conciliamus emolumentum.

Ea sane est meritorum, si illa ex utroque consideraveris latere, conditio. Illorum potissimum magni aestimamus in nos promerita, qui





vel amore, vel misericordia, vel pietatis studio commoti nostris succurrunt rationibus valde periculosis, cum tamen nullum adfit vinculum, quo ad haec pietatis officia ultro nobis adhibita, obstringantur. Si multa adsunt studia, me quidem iudice, expirat meritum. Sed quorsum haec disputo? Quorsum? ut intelligatis, **AVDITORES**, tantam **LVTHERI** in nos existere promeritorum multitudinem, & magnitudinem beneficiorum, quae non augere, aut ornare oratione, sed ne enumerare quidem possim. Nemo partium studio adeo erit occoecatus, qui non videat, maiora illum Reipublicae praestare officia, qui eam iam collapsam, & ad interitum proclivem suffulcit, quam is, qui reipublicae bene compositae prae est, & eam ad normam legum administrat. Levis profecto est opera, & extremis forte digitis attingenda, tranquillo mari, sedatisque fluctuum procellis gubernare navem, sed exorta tempestate, motoque maris, ventorumque turbine, navem titubantem, variis procellis iactatam; & propemodum contractam regere, ad portum ducere, & conservare sarram, hoc opus, hic labor est.

Quod multi voluerunt, nec non summo nisu, si tempora recordamur praeterita, susceperunt, ut Ecclesiam vitiligibus admodum conspersam, & adeo corruptam, ut multum omnino ab Ecclesia Apostolica videretur mutata, suo nitore, & pristinae formae restituerent, id divino adiutus auxilio solus potuit, solus praestitit **LVTHERVS**. Pressit illustriorum purioris fidei, qui ante suam aetatem vixerunt, sed non illacrymabiles, praeambulonum vestigia, nec pressit solum, sed regiam ad veritates coelestes praeparavit viam. Restituit rem deperditam non osecitando, sed vigilando, non ingemiscendo, sed irruendo, non cunctando, sed omnes moras rumpendo. Obversantur nobis ob oculos, **WALDENSIVM**, **WICLEFITARVM**, & **HVSSITARVM** pia in repurganda religione molimina; contemplamur anxia illorum desideria; dolemus horum confessorum, & martyrum fata longe funestissima; deploramus Ecclesiae conditionem, illo temporis tractu miserimam; divinam vero simul admiramur providentiam salutaribus **LVTHERI** consiliis, strenuisque ipsius conatibus, omni ex parte fauicem. Haec emendationis gloria soli **LVTHERO** erat relicta, Tantae sane molis erat gentem condere **LVTHERANAM**!

Laterem omnino lavat, & Isthmum perfodere conatur **EMANVEL SCHELSTRATENVS** b) recentior Romanae sedis promachus, rebus mor-



mortalium iam defunctus, qui hoc emendationis negocium non veritatis restituendae studio, non errorum, & abusuum exterminandorum desiderio, sed laudis, & gloriae, quam affectasset LUTHERVS, cupiditati fati impudenter adsignat, his usus verbis ad Caucasum usque reiiciendis: „Putarunt, inquit SCHELSTRATENVVS, huc usque scriptores „Catholici, cum Eminentissimo Cardinali Pallavicino, indulgentiarum „per Germaniam publicationem in causa fuisse, quod Lutherus coepit „rit cogitare demutanda religione, quam a maioribus suis acceperat. „Verum haerefsos illius initium superbo hominis animo & novitatis „prurigine incitato attribuendum potius putarem.“ O sententiam, cui omnia rerum adversantur documenta, ineptam, & vix commentatiuncula dignam! Tristis, tristis inquam Ecclesiae Christianae facies, quam cum animi moerore multi ante LUTHERVM considerarunt omnium mediorum, & consiliorum expertes, emendandae religionis suavit, & urfit necessitatem. c)

Praetereo quos in hoc argumento in medium adferre possem testes fide dignissimos, STEPHANVM de PRAGA, MAVRITIVM de PRAGA, BERNHARDVM BAPTISATVM de GASCONIA, THEOBALDVM, & THEODORICVM de NIEM, qui omnes maturandam esse Ecclesiae emendationem in pleno Concilii CONSTANTIENSIS confessu serena fronte pronunciarunt d). Provoco ad candidum, & a praepeditis opinionibus liberum ALPHONSI a CASTRO e) iudicium, de tristissimo rerum Ecclesiasticarum statu hunc in modum prolatum: „Viri sancti gemunt, Deumque orant, ut praesentibus „malis medeatur, quibus impares se esse cognoscunt, atque adeo me „delam apponere negligunt.“ Mitto alia, quorum immensus occurrit numerus, priorum seculorum desideria. Instituta, de quorum eventu multi bene sperabant, & aureos montes sibi pollicebantur, religionis Concilia, spem, opinionem, & operam piörum virorum fefellerunt,

b) Vid. Dissert. ad Acta Oriental. Eccles. contra Lutheri Haeresin. Dissert. I. de Initio Lutheranae haerefsos. Cap. I. p. 2. Rom. 1739.

c) Vid. ELIAE VEIHLII Historia, & Necessitas Reformationis Evangelicae per Lutherum feliciter institutae. Vlmac 1692. conf. B. ERNESTI SALOMON. CYPRIANI Apologia, de Reformationis necessitate a Pontificis agnita. Cap. III. p. 767. sq.

d) Vid. HERM. van der HARDT Acta concilii Constantiens. Tom. I. p. 823. sq.

e) Vid. ej. Lib. I. advers. Hereses. Cap. XII. fol. 32.

runt, & res valde corruptas novis adauxerunt erroribus, & impedimentis. Nec aliter eventus his emendationis negociis a Romanensibus in Conciliis susceptis respondere potuit. Bene quidem & sapienter in Conciliis, CONSTANTIENSI, f) & BASILIENSI, g) institutum erat, ut Concilia ad extirpandos, qui in Ecclesiam irreperant, abusus, de decennio in decennium celebrarentur; sed Pontifices multorum errorum, & abusuum vel sua indulgentia, vel pravitate introductorum optime conscii has res serias procrastinabant, & ob metum, quam ieiunam, & levem excusationem JULIVS II. Pontifex, in concilio PISANO h) attulit, illam ipsam Ecclesiae emendationem in diem reliciebant. Accedit, Romanos Pontifices non de emendanda doctrina, sed tollendis mutandisque tantum nonnullis abusus, qui male habuerunt emunctae naris viros, fuisse sollicitos. Quid igitur miramur omnium Conciliorum, in emendationis opere institutorum hunc, quem EDMUNDVS RICHERIVS i) de Concilio LATERANENSI V. tradit, fuisse exitum: „Haec illa est eximia, & tantopere a Christianis nationibus „ducentis ab hinc annis exoptata reformatio, vel ut verius dicamus, „abusuum curiae Romanae incrustatio, atque involutio.“ Sic itaque totus mundus, & infiniti fere homines spe emendationis lactati, in hac praeiudicata sententia acquiescere debuerunt: ECCLESIA NON POTEST ERRARE.

Manum nunc de tam vitiosa tabula aufero, quia oratio est circumcidenda. Multa porro essent dicenda, si oratione eximias, & plane divinas persequi vellem LUTHERI dotes k) quibus illum instructum esse oportebat, qui his periculosis, & lubricis rebus manus ferre vellet auxiliatrices. Operae esset pretium ingenium Lutheri vivum, & ad optima

f) Vid. HARDVINI Act. Concilior. Tom. VIII. Sess. XXXIX. p. 856. conf. Histoire du Concile de Constance par Mr. Lenfant Tom. I. Liv. V. §. LXXV. p. 513.

g) Vid. HARDVINI Act. Concilior. Tom. VIII. Sess. XI. §. I. p. 1149.

h) Vid. HARDVINI Act. Concil. Tom. IX. p. 1562.

i) Vid. Histor. Concilior. General. Lib. IV. Part. II. p. 26. conf. B. IO. FRANC. BYDDEI Comment. Histor. Theolog. de Concilio Lutheranensibus rei Christianae noxiis. Miscell. Part. II. p. 376. sq. conf. Discours des Dissensions, & Confusions de la Papauté. Chap. X. Leurs pretendues reformations. pag. 346. Ambrun 1587.

k) IO. CONRAD. DANNHAVERI Memoria Thaumasiandri Lutheri renovata Cap. X. p. 52. sq. Argentorata 1661.

tima quaevis bene compositum, iudicium ad enucleandas & demonstrandas veritates coelestes, nec non discutiendas scopas peraptum, memoriam in addiscendis variis linguis excellenter fidam, animum denique laborum patientissimum, in calamitatibus intrepidum, in rebus secundis nunquam elatum, & in morte tandem constantissimum paulo attentius contemplari. Sed ne ex praematureo iudicio plus personae, quam meritis tribuere videar, muto sententiam, rectoque pede ad huius viri coelitis jam dudum adscripti negocia non sine laude, & Ecclesiae emolumento peracta, progredior.

At enim vero, ne eminus tantum huius viri omnium maximi aspicimus merita, & armatis quasi utamur oculis; accedamus propius; & cominus haec immensa emendatae religionis beneficia a **LVTHERO** praestita perlustremus. Tanta deprehendo in emendatione Sacrorum a **LVTHERO** divino nutu suscepta, & merita, & miracula, ut me prius hic dies, quam enarrandi deficeret argumentum. Ab iis exordiar, quae primum suo iure sibi vindicant locum, & quae tanto praestantiora sunt, quanto nobiliora aestimantur salutis aeternae argumenta. Ignoscetis, **AVDITORES**, & agendi rationi attribuetis, si camarinas illas, quae Ecclesiam fraude diaboli, & dolis hominum per millenarium, & quod excurrit, occupant, eamque ad turpitudinem usque corruerant, leviter moveam. Quam felici omine aggressus est **LVTHERVS** reformatio nihil aliud est, quam doctrinae, & rituum Ecclesiasticorum non vitio temporis solum, sed auctoritate humana, & artibus Romanorum Pontificum corruptorum emendatio. Duo igitur in hoc emendationis negotio occurrunt capita, quorum **ALTERVM** est veritatis divinitus revelatae restitutio, **ALTERVM** vero errorum frivole introductorum depulsio. Utrumque exoptate praestitit **LVTHERVS**.

Salutares, & divinae ab ipso **JESU**, ejusque legatis in sacris literis traditae, sede sua, & auctoritate deturbatae, & dejectae erant doctrinae, doctrinae, inquam, de Christi merito, ejusque pondere, & virtute; doctrinae, de unica **JESU** satisfactione, & interpellatione apud Patrem omnium gravissima; doctrinae, de fide in Christum, tanquam sola eum Deo Patri in gratiam redeundi via, exclusa turgida, de merito operum, opinione; doctrinae, de tristissimo hominum, a lapsu primorum parentum, statu, & indelebili omnibus, quot quot ab hac praesca mortalium gente suos ducunt natales, aspersa labe; doctrinae, de vera, & sobria Deum colendi ratione. Et quid dicam de Sacramentorum usu ex voluntate summi testatoris sancte conservando, neutiquam vero mutando? Quid

de sanctissimo IESU Sacramento, quo piae animae ad salutare epulum invitantur, recreantur, faginantur? Illae ne doctrinae prorsus divinae ita sunt comparatae, ut proprio, sed detestando plane conatu vel imminui, vel novis doctrinis, eisdemque oppido falsis adaugeri possint? Hac, nisi fidei, mandatoque divino nuncium mittere velis, norma est incendendum. Haec fidei Christianae capita pressis manibus sunt tenenda, ne a vero salutis tramite aberremus, incertoque, & anfractu itinere vagemur, & spe denique aeterna excidamus omni. Laciniae vero Romanensium verbo divino pessime additae, cane pejus, & angue sunt fugiendae.

Considerate, considerate quaeso, AUDITORES, omnium, sed prorsus lubricarum, & ementitarum doctrinarum, non dicam doctrinarum, sed praeconceptarum persuasionum, & humanarum traditionum farraginem. Ex pendite opiniones, quae ex Romana Ecclesia, veluti ex impurissimo gurgite manarunt, seu ut verius dicam, ex trunco hydrae Lernaee propullularunt, & totum doctrinae Christianae corpus misere conspurcaverunt. Solius Christi, quem novi Foederis, ejusdemque melioris sponsores appellamus, merito, expiationi, & efficacissimis apud Patrem, in causa, quam agit, nostra, precibus, asuta sunt Mariae, & Sanctorum merita, preces, & interpellationes. En novum superpondium! En novam, sed prorsus ignotam ad Deum perveniendi viam? Non est mortale, quod Romanenses optant. Sibi porro somnia sixerunt putatitii Petri successores, dum tantum merito Christi detraxerunt, quantum viribus, ex sua sententia, adhuc residuis, & laboriosis, hominum votivorum operibus, in vita a commercio aliorum separata, in paupertate ementita, in delectu ciborum, in abstinentia a matrimonio, in periculosis peregrinationibus, & aliis exercitiis corpori humano valde noxiis, satis conspicuis, frivole attribuerunt.

Integrumne esse putatis hominibus nova fidei condere capita, & nova excogitare vitae instituta; nova denique Scripturae Sacrae adiacere firmata? Quorsum referetis propudiosam de merito operum persuasionem? Quorsum strigosam, de Transsubstantiatione, ut ingenio, & lingua Romanensium inserviam, sententiam? Quorsum impiam peccata per pacis libellos, quos indulgentias appellant, eluendi opinionem? Iam ante LUTHERI tempora, quibus in evulgandis indulgentiis, nec modus nec finis erat, hic detestandus quaestus piis movit scrupulum, nec sine causa MARTINVS MEYERVS 1). Cancellarius Moguntinus, ad AENEAM SYLVIVM, qui deinceps sub nomine PII II. Pontificis inclaruit, haec scripsit:

1) Vid. EDMYNDI RICHERII Histor. Concil. Lib. IV. Part. I. Cap. I. p. 5.

scripsit: „Excogitantur mille modi, quibus Romana sedes aurum ex nobis, tanquam ex barbaris, subtili extrahat ingenio. Ob quas res ratio „nostra olim inclyta, quae sua virtute, suoque sanguine Romanum imperium comit, fuitque mundi regina, nunc ancilla, & tributaria facta est, Quorsum ulterius referetis Sacramentorum ab ipso Christo institutorum incrementum temere factum? Quorsum futile de igne imaginario inventum? Quorsum, Sanctorum, eorumque imaginum, & reliquiarum cultum? Quorsum frigidam de visibili Ecclesiae Christianae in his terris capite, & quidem falli nescio, ratiunculam? Quorsum Scripturae Sacrae contentum, & ex adverso fictarum, & revelationi divinae e diametro contrariarum traditionum promulgationem? Quorsum denique alia, & fidei capita, & cultus religiosi instituta heri demum, aut nudius tertius inventa? m). Id igitur, fortissimus Ecclesiae nostrae vindex, id negotii, divino excitatus spiritu sibi datum esse creditur, ut veram salutis viam, adhuc valde laboriosam, ambiguam, & impeditam, demonstraret, & ab omnibus aufractibus liberaret. Id egit, ut maculas Ecclesiae Christianae asperfas absterneret, quo appareret, quid distent aera lupinis. Non fallacem, quod impudenter garrunt Romanenses, in alienam imimisit messem, sed publica officii auctoritate instructus, opus, angelicis propemodum humeris tremendum est aggressus, nec solum aggressus, sed feliciter est exsecutus. En incredibilem animi fortitudinem, qua intrepidus suscepit negotium, de cuius felici eventu plerique timidi desperabant, & fatius agere LUTHERVM, si in cellam abiret, & clanculum, miserere mei domine, ingemisceret, quam si signa Romano Praesuli inferret, ducebant n).

LUTHERVS autem, qui triplex quasi circa pectus robur habere visus est, non rugientis leonis, LEONIS inquam, decimi, indigni plane Petri successoris, minas, non fulgura, non cavillationes turpiter effusas, non imperus, non equuleum, non carceres, non ferrum, non ignem reformidavit, sed se suasque fortunas, & vitam pro veritate religionis laetus obtulit. Ecquis igitur, bone Deus, succenseret nostrae Ecclesiae doctoribus; qui LUTHERVM non solum CONFESSORIS o) sed & MARTYRIS p) titulo

B 2

macta-

m) Vid. S. Venerabil. SALOM. DEYLINGII Observat. Miscell. Part. IV. de Novitate Errorum Pontificior. p. 256. usque p. 536. conf. PETRI

MOLINAEI Nouveauté du Papisme. 1715.

n) Vid. SCHOPPERI Nova Chorograph. & Historia Germ. Nation. Cap. V. p. 525. qui haec de ALBERTO CRANTIO Canonico Hamburgensi refert.

o) Vid. Io. GOTTL. MOLLERI Dissert. de D. Luthero, ut Confessore Martyri contradistincto, in Conciliis Wormatiensibus. Rostochii 1693.

p) Vid. ej. Diss. de Luthero Martyre Confessori contradistincto. Rost. 1693.

mastrarunt. CONFESSOREM fuisse satis illustrem, quem dixi, THAVMASIAN-
DEVM LVTHERVUM, nemo, nisi, qui eius colloquia instituta, Confessionem
publico examini submissam, & reliqua ad religionem & defendendam, &
diffeminandam scripta diversis temporibus emissa ignoret, facile negabit.
Subiecit suam doctrinam censurae, incudi, & discussioni virorum, si ani-
mum spectes, studio partium occupatorum, si ingenii acumen, rigoroso-
rum, nec non acutulorum, si animi pravitatem, pessimorum. Iniit cer-
tamina & privata, & publica, & semper superior excessit LVTHERVVS
LIPSIAM q), HERBIPOLIN r), WORMATIAM s) venit, vidit, vicit. Nec MAR-
TYRIS, eiusdemque ad mortem designati, nomine est privandus, dum in-
trepido animo, miseram, & periculosam professionem ad conventum
WORMATIENSEM, damnatione sua, ut scribit PAVLLVS SARPVS t) per Pon-
tificem iam publicata, & templorum valvis affixa, libere instituit. Irruit
quasi in hostes sua causa fretus LVTHERVVS, amicisque dehortantibus
contracto supercilio dixit: „Se profecturum esse, licet contra se tot in-
„surgere daemones, quot in tectis aedium illius oppidi cernerentur
„tegulae.“ O martyrem ad tristissima quaevis fata paratum, nec solum
paratum, sed laeto animo se offerentem! Cedro digna sunt verba LV-
THERI SCHMALCALDIÆ v) cum spiritum ageret, naturaeque debitum fere,
ob gravem calculi morbum, redderet, gemibunda voce, emissa: „O Do-
„mine, Iesu Christe, quam egregium hoc est, si quis pro verbo tuo
„martyr factus moritur. At mihi haec gloria non contingit. Moriar ta-
„men inimicus inimicis tuis, sub anathemate Papae, qui sub anathema-
„te tuo moritur.

Enim vero missis his omnibus ad ea, quibus LVTHERVVS singulari
ratione de tota nostra Ecclesia bene est promeritus, plenis velis contendo.
Tantis obrutus in Ecclesia, quam condere meditabatur, negociis, reli-
quum vitae tempus emolumento publico sacrum esse voluit LVTHERVVS,
in adornanda Bibliorum Sacrorum versione, quae nulli est secunda; in
elucubrandis, quibus Sacram Scripturam & ditaret, & illustraret com-
men-

- q) Vid. JAC. THOMASII, Professoris nostrae Academiae oratio, de disputatione
Lipsicae Lutheri cum Eccio, in templo Academico die XVIII Febr.
1646. recitata.
- r) Vid. *Opp. Lutheri* Tom. I. Lat. Jenensi fol. 28. sq. & MICHAEL. STIEFFELII
Tractat. de Disputat. Lutheri Heidelbergae habita.
- s) Vid. III. SECKENDORFFII *Comment. de Lutheranism* Lib. III. Sect.
XXV. §. LXXX. p. 294.
- t) Vid. *Histor. Concilii Tridentini* Lib. I. p. 22.
- v) Vid. SELNECCERI *Tract. de Initio, Causa & Progressu Ang. Confess.* p. 58.

mentationibus, in componendis, qui brevem fidei Christianae referrent summam, libellis, in evulgandis denique, quibus in re sacra rite peragenda, uterentur sacerdotes tunc temporis admodum rudes, liturgiis. Nemo non scit, quantum hoc nomine Luthero debeamus, quod patriam, quod planam, quod accuratam sacri codicis reddidit interpretationem. Uti in Romana Ecclesia non cuivis homini contingebat sacra adire exemplaria, eademque nocturna, diurnaue versare manu; ita quoque maxima hominum pars, ob linguae Latinae ignorantiam, sanctissimos Dei sermones perlustrare non poterat, sed in fide supina Boeoticis forte ingeniiis digna, acquiescere debebat, illam videlicet fidei suae rationem reddens: Davus sum, non Oedipus. O sortem hominum plusquam falsissimis lacrymis deplorandam! Ea, quae ad omnium mortalium notitiam pervenire debent, ad certum, exiguumque hominum numerum redegit Pontifex. Quae in aprieum sunt proferenda, studio occultantur. Minio, nisi me fallit augurium, digna est St. GREGORII NAZIANZENI x) de hoc argumento sententia, digna inquam, quae recitetur. „Nihil, inquit, St. GREGORIVS, fide nostra iniquius fingi posset, si in eruditos tantum, dicendique „facultate, ac Logicis demonstrationibus excellentes caderet, popularis „autem multitudo, ut auro, & argento, & aliis rebus, quae in pretio „habentur, atque avidissime a plerisque expetuntur; sic quoque haec „frustraretur, ac si Deus id, quod altum & excelsum est, atque ad pau- „cos pertingit, gratum acceptumque haberet, contra, quod propinquius „est, nec vulgi captum superat, aspernaretur, & reiiceret. Nam ne in „moderatiores quidem homines hoc cadit, ut non quales ipsi honores „haberi possunt, exigant, sed excellentibus tantum, eximiisque delecten- „tur, ne dum in Deum, qui cum multis nominibus admirabilis, & suspi- „ciendus occurrat, nihil tamen tam proprium habet, quam omnes bene- „ficiis adficere.“ Occlusis itaque ad Scripturae Sacrae adyta ianuis, versio, quae appellatur Vulgata, quae innumeris scatet naevis, in Romana Ecclesia concedebatur. Quo Lutherus huic mederetur malo, de sacrorum librorum versione, eademque sensui divino conformi, & veste domestica ornata cogitavit. Non mancã, non mutilam nobis exhibuit Scripturae Sacrae versionem, sed talem, quae, si spectes verborum notionem, accurata, si verborum pondera, praestans; si totius argumenti compagem, compendiosa, si rerum traditarum excellentiam, nervosa, si dicendi genus, plana, si mentem denique spiritus sancti, perspicua est, & omnibus numeris absoluta.

B 3

Dente

x) Vid. Opp. Tom. I. Orat. XXVI. p. m. 458. sq.

Dente quidem Theonino hanc bibliorum versionem arroserunt, fat multi, sed Daedali usi pennis in confarcinanda nova versione suis exciderunt ausis. At enim vero eum in locum deductae erant Romanensium res, ut nubem pro Iunone amplecti debuerint. Illis, qui in sanctiorum disciplinarum cognitione plus ultra tendebant, inanes THOMAE AQUINATIS, aliorumque, non maioris dignitatis, doctorum interpretationes, tortuosae quaestiones, scopae incredibili, & deperdita plane extractae, & leves in demonstranda veritate ratiunculae erant recipiendae, credendae, praedicandae. Accidit, proh dolor, his sacrarum literarum lectoribus, ut plerumque redirent multo incertiores, quam antea. Etenim ad oculatam fidem iam iam dedit IOANNES PLACETTUS y) fidem Pontificiorum Scriptura Sacra niti non posse, nec firmo stare talo, sed dubiam esse, & insanabili laborare scepticismo. Et quo eo longius illorum seculorum inquilini, a vera, & salutare veritatum coelestium noticia removerentur, & consilio, in barbariem z) extruderentur, illorum oculis, manibusque obiciebantur miserae, & ieiunae oratiunculae ad St. Mariam, & reliquos, qui in sanctorum Concilio degere feruntur, putatitios rerum humanarum patronos, cum lacrymis, & suspiriis emittendae. Fabulis, miraculorumque historiis totus propemodum disfluebat orbis, & impudicis regebatur opinionibus. Nec ullum erat in hoc fraudum, & mendaciorum labyrintho filum Ariadneum, quod homines ex his Cimmericis tenebris revocare, & ad lucem perducere posset. Arietem itaque his nugis, apinisque movit LUTHERVS. Solvit, dissecuit, scidit, uno quasi ictu hunc nodum Gordium, & falsas commentationes dextre debellavit, & feliciter eliminavit. Liber nunc planusque ad hunc fontem, cuius priorum seculorum homines sitientes erant, est aditus, & innumeri inde deducuntur rivuli, e quibus sua prata rigant Lutheranae religionis cives.

Multa adhuc sunt residua, AUDITORES, argumenta, quae mihi amplissimum in LUTHERI merita excurrendi demonstrant campum, si Reipublicae statum, quem a Pontificis potestate, vinculis, & tyrannide aa) liberavit, si bonarum artium studia, quae in lucem protraxit, si denique pietatis, & Musarum sedes, quas a desidiis & stupidis expurgavit monachis, exponere vellem. Sed hoc labore superfedeo, quia lividens meam

y) Vid. de Insanabili Rom. Eccles. Scepticismo Cap. II. p. 6.

z) Vid. Io. GVIL. IANI Dissert. de Barbarie medii aevi in Contentem Scripturae S. Witteb. 1721.

aa) Vid. Imperatorum, Imperiique, Principum, ac Procerum totiusque Nationis Germanic. Gravamina advers. Sedem Romanam, & totum ordinem Ecclesiast. a Jacobo Friderico Georgio eruta edit. 1725.

meam operam, in re satis pervia, non desideratis. Hoc solummodo dignum censeo, nostram Ecclesiam hoc misero, fatalique statu tam feliciter esse perfunctam, ut rerum initia, quae parva erant, tantis successibus fuerint adaucta, ut vera doctrina, veluti aureus imber in remotissimos terrarum tractus sese effuderit. Illustre profecto divinae veritatis indicium est, LVTHERVUM non persuasionibus, non assentatiunculis, non imposturis, non cuniculis, non fideiculis in propaganda veritate esse usum, sed profus imbellem; divina adiutum ope, rem omnem consecisse. Quotus enim quisque Vestrum est, qui non intelligat, bonae causae esse signum, Ecclesiam LVTHERANAM, nulla vi humana esse propagatam. Contemplamini, quibus artibus Romanenses in condenda, non dico Ecclesia, sed stabienda monarchia, usi sint? His artibus, his equuleis, his telis, his Mauri iaculis, his venenatis sagittis nostra non indiguit Ecclesia, ut potius acerbissimas sustinuerit calamitates, & semper fronte steterit serena. Nihil in rebus humanis est opere, aut manufactum, quod aliquando non conficiat, & consumat aetas. At enim vero haec, quam profitemur, LVTHERANA religio floruit, florescetque quotidie magis, & stabit medios inter vexationum scopulos, tanquam Marpesia cautes. Obstupescant posteri has LVTHERI victorias a Romana Ecclesia deportatas vel audientes, vel legentes. Erit inter eos, qui nascentur, sicut inter nos summa consensus, qui hanc divinam, in disseminanda veritate LVTHERANA, providentiam aeternis laudibus celebrabunt.

Atque ad hanc metam mihi praefixam veniens, mea nunc consistit oratio, quae amore argumenti, & studio in LVTHERI merita paulo longius provecta patientiam VESTRAM, AVDITORES, diutius fatigavit. Ast neminem Lutheranae civitati adscriptum dubitare credo, LVTHERVVM, iure suo, summa a nobis postulare pietatis studia. Quem enim ita occaecatum suspicer, quin insignia haec, quae breviter exposui, non intelligat merita; quem tam negligentem aestimem, qui eadem videre nolit, quem tam vecordem, ut tot beneficiis LVTHERI ad laudem provocatus, manibus in sinum abiectis, sedeat, oscitetur, dormiat. Recolamus igitur LVTHERI memoriam, quam maleferiati homunculi sub longa, di-raque nocte extinctam volunt. Effingamus nos ad tanti viri imaginem, nosque hoc nomine reddamus dignissimos, memores officii, a Paulo, sedulo traditi: „Mementote, qui vobis praesunt, qui vobis divinam ex-„posuerunt doctrinam, quorum intuentes eventum morum imitamina „fidem bb).“ Vigilemus, ne veritas, in quam nos vindicavit LVTHERVVS, veluti palladium ex oculis nostris eferatur, & pedibus conculcetur.

bb) Vid. Hebr. XIII. 7.

Cavez-

19 5434 () o (*
10-10
Caveamus nobis a Romanensium lenociniis, quibus nos ad suas partes trahere laborant. Evitemus ligustra; latet enim anguis sub herba: Palliant Romanenses suos errores, & gypsatissimis manibus illos apponunt. Summa opus est animi attentione, ne nos sub hoc peplo decipiant. Fugiendus est hic Sirenum cantus cc) & profliganda sunt speciosa ad pacem incundam consilia. Cavendum est, ne ex intempestivo pacis studio dd) societatem saluti nostrae noxiam cum sede Romana innovemus. Exuamus omnem, quem Deus detestatur, animi teporem ee) proximam ad indifferentissimum religionis viam. Eric aliquando, ubi depositi ratio exigatur; erit, quando eius contentus cum gravitate vindicetur.

Utamur armis, armis inquam divinitus acceptis, quibus hostium insultus repellere, & molimina illorum valde perniciose subvertere possumus. „Nihil enim, teste LACTANTIO ff) in rebus humanis religione est „praestantius, quam summa vi quisque defendere debet.“ Enixis Deum precemur votis, & suspiriis, ut LVTHERANAM Ecclesiam tot inter hostium consilia fatis funesta conservet. Conservet SAXONIAM, foecundissimam, quae tot liberis, posterisque LVTHERI gaudet matrem, omnesque, qui Ecclesiae, & Patriae minantur interitum, averruncet casus. Tuta erit tua, Iesu Christe, quae in his terris decertat, familia, omnesque laeta feret subter densa testudine casus, si tuo fruatur auxilio longe potentissimo. Fac illam, quod speramus, quod efflagitamus, quod expectamus, prorsus invictam; fac illam, sub doctorum, qui hanc bonarum artium mercaturam, & Academiam fatis illustrem, adornant, & imposterum adornabunt, moderamine, amplissimam, ut nulla unquam dies LVTHERANAE veritatis in nostra urbe, & Patria adferat finem. Persistamus presso pede in religione, novo pacis vinculo, singulari Dei beneficio, nuper admodum confirmata.

Didia nunc, non ut fert argumenti dignitas, sed ut potui, causa, vereor, ne pietas nexum orationis inprimis necessarium desideret, si, quid officii est, siccio pede praeteream. Neque enim possum, quin TIBI, RECTOR MAGNIFICE, & VOBIS, AVDITORES omnium ordinum, Excellentissimi, & Praestantissimi, gratias persolvam maximas, quod VESTRA praesentia huic concioni lucem, splendoremque affundere, & VESTRUM in LVTHERI merita studium palam declarare haud dedignati estis. Dixi.

cc) Vid. HECTOR GODOF. MASH Diss. de Sirenum cantu s. de Unione Protestantium cum Romana Eccles. advers. DEZII Tractat. de Reunione Protestantium. 1688.

dd) Vid. GVIL. SCHERLOER Preservatif contre le Papisme. a la Haye 1721. conf. L'enfant Preservatif contre le reunion avec le Siege de Rome. Amsterd. 1723.

ee) Vid. Apocalypf. Cap. III. 16. ff) Vid. de Iustitia Lib. V. Cap. XIX.



m.c

es
l-
t.
t-
a-
t-
s,
n
o

n
f-
ft
n
o-
i-
e,
ta
ta
f-
s,
n
n
t-
o
er

ä,
fi,
Bl,
n-
e-
in

te-
ne

f.
ic.
x.

ULB Halle 3
003 500 616





Clk. 191.

Clk. 191

ORATIO PANEGYRICA,

24

Vg
5434

DE

MERITIS LVTHERI

IN

ECCLESIAM CHRISTIANAM, COLLATIS ET LAVDE INDE

O

SOLEMNI CONCESS
DIE EMOI

AEDE SA
LIPSIAE, DIE

JOANNE RVI
S. S. THI

EX OFF

